
retum

3 2044 106 471 543

MH
.38
B45.3



Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/dissertatiobotan1753berg

Miss Gobel [illegible]

DISSERTATIO BOTANICA
DE
ALOIDE

AVCTORE
CAROLO AVGVSTO DE BERGEN
MED. DOCT. ET PROF. PVPL. ORD.
HAEREDITARIO IN ROSENGARTHEN.



FRANCOFVRTI ad VIADRVM
IMPENSIS JOH. CHRISTIANI KLEYB
MDCCLIII.

Dec. 1912
28995

Q. F. F. Q. S.

§. I.

Rei herbariae ſtudium polyhiſtoris MORHOFII tempore ad ſuperſtitionem usque jam excultum, his noſtris in diebus per totam fere Europam rapidis adeo progreſſibus creſcit, ac læta capit incrementa, ut jure dixerim, quodvis hujus ſaeculi decennium, priorum temporum integris ſaeculis, uberiores longe fructus ferre, teſtantibus id ipſum numeroſiſſimis botanicorum ſcriptis, praeclarisque inventis, quibus, quantum hiſtoria naturalis indies promovetur, inter omnes conſtat. Hauditaque ingratum fore exiſtimo, in commodum botanophilorum meas qualescunque circa *Aloidem* inſtitutas obſervationes cum publico communicare, tum maxime, quod planta hæc, utcunque vilis, et uſibus medicis hactenus deſtituta, pleniorem cognitionem requirat, mirusque inter auctores, etiam graviſſimos, circa genericam ejus deſcriptionem inveniatur diſſenſus.

§. II.

Cum ante biennium *Floram Francofurtanam* publicarem aloidem noſtram ab auctore *Hodegi botanici* plantis generis adhuc ignoti adſcriptam, duce *Cel.* LINNAEO *Gener. plant. Ed. II. Lugd. Bat.* 1742. *n.* 543. ad claſſem genusque ſuum retuli, ut videre eſt in praedicto libello p. 205. ratus deſcriptionem hujus plantae adeo eſſe completam et veritati conſonam, ut nihil his, quae legeram, vel addi, vel detrahi poſſit. Poſteaquam autem ab eo tempore forte incideram in *Incomparabilis* BOERHAVII et *Clariſſ.* TREVVII deſcriptiones, quarum prior exſtat in *Indice plantarum hort. Lugd. Bat. T. II. p.* 132. et poſterior in *Commercio Litterario Norimbergenſi Ann.* 1731. *p.* 166. merito dubitare cœpi, cuinam hujus incomparabilis trigae virorum potiores partes deferendae ſint, nihil itaque mihi relictum erat, quam manum operi admovere, et ipſam, nudam prodentem veritatem, naturam conſulere.

§. III.

Ante vero quam ea, quae ex examine hujus plantae didici expono, operae pretium erit deſcriptiones Boerhavio-Trevvio-Linnaeanas præmittere, atque ex earundem comparatione illud, quod incertum eſt in fructificationis hiſtoria, eruere.

Immortalis BOERHAVII *l. c. p.* 132. haec ſunt:

Caulis craſſus, fungoſus, compreſſus, explicatur in *calycem* bifolium, compreſſum, craſſum, fungoſum, viridem, qui conſtat binis *vaginis*, ita excavatis in carinam, ut forment quaſi chelas cancrorum. Hae vaginae arcte invicem complicat ſollicite tegunt florem, ovariumque.

Ex centro calycis deſcripti et fine medio pedunculi aſſurgit *pedunculus* alius craſſus, fungoſus, ſuſtinens,

Ovarium

Ovarium oblongum, diviſum, in VI. loculos per ſepimenta fungoſa, diſtinctos, quorum ſinguli gerunt *ſemen* unum forma avenae.

Ex apice producto ovarii emergit *calyculus* monophyllus, craſſus, explicatus in tria magna ſegmenta longa, viridia.

Flos tripetalus oritur intra calycem illum ex margine apicis ovarii, habens petala tria, alba, magna, inſtar roſæ expanſa, intra quae *ſtamina* naſcuntur multa, usque ad viginti.

Ex eodem apice ovarii aſſurgunt *tubae* ſex incurvae, extrorſum flexae, ita ut fallant incautos ſpecie duodecim tubarum.

Clariſſ. TREVVIVS *l. c.* Gedani quondam ſequentem fructificationem notavit.

Ex *folliculis* apertis ſurgunt *cauliculi* duplicis generis, ſinguli tamen ante eruptionem in peculiari theca tenui, ac quaſi membranacea reconditi. Alii horum duo, vel tres longiores, ad tres circiter digitos transverſos calycem ſuperantes, albicantes, teretes, teneri, pellucidi, *florem* geſtantes album, roſaceum, tripetalum, permultis *ſtaminibus*, apicibus flavis, inſtructis, fartum, *calyce* triphyllo munitum, ſed ſterilem: alii *cauliculi* multo breviores et extra calycem vix conſpicui duo, tres, ſubinde plures, ſuſtinent ovarium cui inſidet *flos*, priori ſimilis, ſed absque calyce.

Ovarium abit in *fructum* oblongum, anguloſum, magnitudine prunum minuſculum aequantem, ſexcapſularem, mucilagine repletum, *ſeminibusque* foetum longis incurvis, parum alatis, fuſcis.

Celeb. LINNAEI character genericus *l. c.* (§. 2.) ſequentia docet.

Cal. Spatha diphylla, compreſſa, obtuſa, connivens, utrinque carinata, perſiſtens.

Perianthium monophyllum, trifidum, erectum, deciduum.

Cor. petala tria, obverſe cordata, erecto-patentia, calyce duplo majora.

Stam. filamenta viginti longitudine perianthii, ſtyli ſex bipartiti, longitudine ſtaminum, ſtigmata ſimplicia.

Per. Bacca capſula tecta, ovalis, utrinque attenuata hexaedra, ſexlocularis.

Sem. plurima, oblonga, incurva, fere alata.

§. IV.

Ex his vero obſervationibus invicem collatis tanta fructificationis differentia patet, ut concludi neceſſe ſit, aut dari ejusdem hujus plantae ſpecies diverſiſſimas, aut Viros hoſce ingenuos eodem plantas diverſas nomine comprehendiſſe. Nam quae primo loco BOERHAVIVS de calyculo trifido, corollam tripetalam ſuſtinente, et ex ovario emergente tradit, hac ratione nunquam invenire potui, potius hic flos ante formatum ovarium et fructum, ſuo pedunculo ſuffultus, et extra ſpatham emergens, jam adeſt, naturae adeo fugacis, ut paucorum dierum intervallo marceſcat, nec tum adhuc ſeſe manifeſtante ovario. Spatham enim ſi quis ovarium appellat fallitur, manifeſte enim formato jam fructu haec calycis officio fungitur. Neque tubas ex apice ovarii productas obſervare licet, ſed potius inveni in ſtaminum medio haerere organa quaedam, piſtillorum vices habentia, ſed quae in fructum non mutantur, qui quippe a flore

flore remotus eſt per aliquod digitos transverſos et ex fundo ſpathae ſuo pedunculo inſtructus emergit In deſcriptione *Clariſſ.* TREVVII ſequentia deſidero: Nunquam ego duplices flores, ſteriles et fœcundos ex ſpatha emergentes, ſed unicum duntaxat florem hermaphroditum ſcil. infra fuſius deſcribendum, et formationem ovarii praecedentem obſervare potui, niſi forſan germina iſta de quibus infra dicam, et quae flores nondum evolutos repraeſentant, hos ſuos foemininos conſtituant, ſed tamen et hoc eſſe nequit, cum hi floſculi ſint hermaphroditi. Propius experientiis meis conſentaneam invenio deſcriptionem *Celeb.* LINNAEI, ſed in eo duntaxat anceps haereo, quid per receptaculum perianthii, ſub quo germen ponit, intelligat Vir illuſtris, cum, ſi ſpatham diphyllam exiſtimat, equidem verum ſit, germen in eo latere, ſed ſtyli ab ipſo deſcripti ab hoc germine ſunt remotiſſimi, nec cohærent cum ovario, imo dudum ante formationem ovarii una cum flore cadunt. Neque etiam reperio Cel. virum alterius iſtius ſpathae mentionem feciſſe, quae recluſione ſuarum carinarum novam puſillamque plantam, antiquae, exceptis floribus et fructibus, in omnibus ſimillimam, largitur. Quae cum ita ſint, paucis jam nunc enarrabo, qua ratione fructificationem hujus plantae hac aeſtate repetitis vicibus obſervavi et contemplatus ſum.

§. V.

Ineunte Iulio menſe has plantas in piſcinis per canales communicantibus, et quadantenus aquam fluentem continentibus, aliisque aquis ſtagnantibus paſſim circa Francofurtum naſcentes inveni, jam jam ſpathas (g fig.) inter folia gerentes, ſed adhuc dum clauſas, et nullum floris veſtigium exhibentes.

Octiduo vix elapſo efflorescunt ſpathae propellentes pedunculum florem ſuſtinentem, cujus

Perian-

Perianthium (f) rite deſcriptum a LINNAEO pallidi coloris eſt, ſegmentis alterne cum petalis in orbem cohaerentibus.

Petala (e) a LINNAEO bene deſcripta ſunt nivei coloris, venoſa, venis convergentibus ad figuram petali, fugacia ſupra modum, ut intra paucos dies una cum perianthio, ſtaminibus, ſtylis decidant, marceſcente etiam pedunculo florali.

Stamina (c) filamentis circiter XX. l. XXIV. breviſſimis, antheris filiformibus luteis, duplo filamentis longioribus.

Piſtillum (c) format ſtylos circiter duodecim in centro ſtaminum circumpoſitorum, cum totidem filamentoſis ſtigmatibus, coloris longe pallidioris, quam ipſae antherae, longitudinis circiter perianthii, cum ſtamina una cum antheris dimidio breviora ſint.

Perianthium, corolla, ſtamina et ſtyli inſident *Cauliculo* tereti (b) pallido, ſuccoſo ex ſpatha hiante emergenti, tres circiter digitos transverſos longo, quorum unus, aliquando duo ex ſpathae fundo prorumpunt.

Spathae (h) omnino ſunt diphyllae, compreſſae, et carinatae, ſed præter caulem continent quatuor *loculamenta* tenuiſſima inſtar vitri Moſcowitici pellucida, quorum bina ſunt concentrica et ſibi oppoſita, ejusdem cum carinis ſpathae figurae, ex fundo ſpathae ſurgentia, et caulem florigerum intra ſpatham amplectentia, quaſi veſiculas repraeſentantia.

Apertis hiſce veſiculis (h) *ſubſtantiam mucoſam* albam, quaſi medullarem, leviſſima agitatione diffluentem reperi, quae fatiſcente flore et caule florigero, fuſca et emarcida fit. In fun-

In fundo ſpathæ eodem tempore intra has veſiculas latent quatuor *grana* (i) lutea, quorum duo majora ſunt, quae quaſi totidem germina repraeſentant. Haec a quibusdam pro ſeminibus plantae, ſed perperam ſunt habita, ut ex ſynonymo PLVCKNETII colligo. Aperta enim et per lentem vitream viſa, nihil minus ſunt, quam ſemina, ſed potius veſtigia floris futuri, quippe in his granis (l. m.) deteguntur folia perianthii, petala corollae, ſtamina et piſtillorum veſtigia. Inſident porro haec grana ſuis curtis pedunculis, qui ex parenchymate caulis ſpathae ſurgunt, ut nullum dubium ſit, plures alios flores, emarcidis jam prioribus ſucceſſive efflorеſcere; ſed omni licet cura adhibita hos expectare non potui, quod ſi factum fuiſſet, certius de floribus maſculinis et foemininis, ſibi ſuccedentibus, a *Cl.* TREWIO deſcriptis, judicium ferre potuiſſem. Interea tòto hujus intervalli decurſu nondum ovarii veſtigium reperitur.

Elapſis duabus vel tribus ſeptimanis, hiantibus ſpathae carinis, *fructus* craſſo pedunculo ſuffultus exſurgit ſexangularis, ſexlocularis, utrinque attenuatus, ad cujus *receptaculum* fungoſum in pulpoſa tela jacent *ſemina* granorum ſecalis figura, ſed majora, in cortice recludentia nucleum album, ſaporis mucidi et corrupti, quæ tamen minime ſunt alata, ſed duntaxat lanuginoſa iſta pulpa tecta, quorumque numerus incertus eſt, duobus, tribus, quinque, aliquando unico in quavis cellula ſexlocularis capſulae incluſis, et omnibus plus minus maturis.

Atque haec breviter eſt fructificationis a me obſervatae metamorphoſis, quam unius et dimidii menſis ſpatio penitus abſolvi exiſtimo.

§. VI.

Praeter recenſitas partes fructificationis (§. 5.) aliquo tempore transacto, menſe ſc. Auguſto et Septembri in hiſce plantis ex radice inter folia naſcuntur tenerae gemmae, nucleorum pyri magnitudine, quae grandiores factae excreſcunt pariter in ſimiles ſpathas (q) ſuo pedunculo praeditas, ſed ſpathis florigeris paulo minores, quae nunquam florent, aut folliculos veſiculares (h) ferunt, ſed cultro apertae, rudimenta novae plantae (r. s.) continent, et totae foliaceae ſunt. Sponte carinis hujus ſpathae hiantibus, puſilla planta, foliis ſuis tenerrimis, ſed jam jam aculeatis, cito ſe explicat, tota per caulem pendula a materna planta. Grandeſcens autem proles, caule putreſcente, ab adulta ſeparatur planta, novas pellit radiculas, hisque ſe ipſa nutrit. Hoc etiam addere viſum eſt, me hactenus nunquam in eadem planta, quae flores fert gemmas haſce, e contra ſemper plantas gemmiparas ſpathis florigeris deſtitutas conſpexiſſe; quod mihi dubium movet an ne peculiaris ſpeciei vel potius varietatis ſit planta gemmas ferens, quam, ſi bene memini, ſemper toto habitu, et in omnibus partibus graciliorem deprehendi.

§. VII.

Abſolutis fructificationis organis nunc etiam folia et radices deſcribendae ſunt, et quidem priora, ubi planta ad juſtam ſuam maturitatem pervenit, ultra cubitum longa ſunt, pollicem circiter lata, et in medio, dum ad margines modice gracileſcunt duas lineas craſſa, ſecundum longitudinem carinata, exterioribus in orbem expanſis et majoribus, interioribus, confertis, minoribus. Serrata proprie non dixerim, ſed potius aculeata, aculeis in planta fructigera, obtuſis et brevibus, in gemmipara (§. 5.) (§. 6.) longioribus, acutioribus.

Color

Color non ubique viridis eſt, ſed ſaepe in medio foliorum inter extremitates puniceus, vel obſolete purpureus. Saepe etiam folia, et caules ſpatharum ſtriis luteis, picta et variegata deprehendi, admotaque lente vitrea cognovi, colorem non aliunde proficiſci, niſi a conſumta et exeſa epidermide, quae ubi deficit, pallidum et ſuccoſum caulium parenchyma tranſlucet. In cauſam hujus excoriationis inquirens mox inveni hanc provenire ab inſectis aquaticis copioſe folia obſidentibus, quae nihil aliud ſunt, quam limaces aquatici minimi, ſeminis avenae magnitudine, pellucidi, roſtro nigro praediti, quos in ſequentibus entomographis *Fauna Suecica Cel.* LINNAI. *Ill.* REAMVRII Opere, *Biblis Naturae* SCHWAMMERDAMMII, et ſcriptis vernaculis FRITSCHII et LESSERI deſcriptos hactenus invenire non potui. Praeter iſtos vermes buccina fluviatilia minima, teſta admodum fragili his foliis hinc inde ad haerentia inveni. Integram aliquando luſtravi piſcinam, ubi omnia hujus plantae exemplaria, qua folia, qua folliculos, vermibus exeſa erant.

Aliquando etiam variegatam coloris conditionem non inveni dependere ab excoriatione, ſed ab arcta cohaeſione foliorum lenticulae paluſtris, et pinnarum millefolii aquatici, quae plantae ſub aquis confuſe aloidi adhaerent.

Conſiſtentia foliorum non quidem eſt friabilis, ut vult *Clariſſ.* TREWIVS, interim fragilia admodum ſunt, ut vix planta integra uno comprehenſa folio ex aquis ſine ruptura extrahi poſſit.

Caules ſpathae florigerae (§. 5.) et gemmiparae (§. 6.) non ſunt rotundi ſed compreſſi ab una, plani ab altera parte, differunt vero magnitudine, dum poſteriores graciliores et breviores ſunt.

Tandem concurſus foliorum et ſpatharum format ſui generis thalamum carnoſum, qui tamen nihil eſſe videtur,

niſi confluens foliorum et caulium parenchyma, quique a parte ima, ubi planus eſt, profert multas radices filiformes, tenues, inſtar chordarum pandurae majoris, nudas, teretes, triplo vel quadruplo ipſa planta longiores, incerti numeri, et diverſæ maturitatis, dum aliae longiores et craſſiores, aliae exiliores et breviores reperiuntur. Hae in aquis profundis fluctuant, nec ad fundum pertingunt, in vadoſis vero cum alveo cohaerent et limoſæ ſunt.

Quoad habitum expanſio foliorum, ſtellatim ex centro communi ſeſe expandentium aliquam ſimilitudinem habet cum aloe vulgari, non tamen adeo rigida ſunt folia, quam in ſpeciebus aloes, ſed magis flaccida.

Turiones quae ex radice inter folia emergunt, ubi ulterius progerminant, vel in ſpathas florigeras vel gemmiparas mutantur, diverſae ſemper maturitatis et magnitudinis.

§. VIII.

Tota caeteroquin noſtra planta annua eſt et aquatica, quae non niſi circumfuſis undis creſcit et vegetat, cujusque vegetationem ex hactenus obſervatis ſequenti modo concipio. Plantae, quae Iunio menſe ex aquis emergunt, non ſunt eaedem cum plantis anni praeteriti adultis, ſed ſunt vel proles et puſillae plantae (§. 6.) elapſi autumni vel etiam ſunt juniores plantulae, ex maturis ſeminibus, ruptis capſulis ſeminalibus, in fundo aquae progerminantes. Ratio emerſionis verſus hoc tempus in eo latet, quod utraque planta adhuc puſilla ſpecifice gravior ſit aquis et ideo in fundo maneat, creſcentibus et ſenſim ſe explicantibus foliis ad eandem cum aqua gravitatem ſpecificam redigitur, ſicque ad ſuperficiem emergit, maxima foliorum parte eminente, reliquis partibus ſub aquis conditis, cujus rei ratio ex principiis hydroſtaticis patet. Hoc autem emerſionis tempore nullae nec ſpathae, nec turiones apparent, donec inſtante

ſtante floreſcentia ſpathae florigerae cum ſuis pedunculis paucos intra dies ſubito prodeant, et laete effloreſcant. Poſt florem ſequitur fructus qui intra quatuordecim circiter dies maturus fit, et cum maturitate tantam gravitatem acquirit, ut trahendo perpetim pedunculum ſuum, ipſum ſenſim ad marceſcentiam et corruptionem diſponat, qua ſubſequente fructus ſponte, vel ad minimum gelu ingruente, una cum antiqua planta ad fundum decidit. Auguſto menſe planta, alterius niſallor ſpeciei, largitur ſpathas gemmiparas, atque ex his puſillas novas plantas (§. 6.), quarum ſeparatio eodem modo contingit. Reliquo hyemis tempore planta haec inſtar aliarum aquaticarum v. g. potamogetonis, nympheae utriusque, myriophylli etc. in alveis foſſarum et ſtagnantium aquarum recondita latet, ita tamen, ut adulta planta propter frequentia omnium ſuarum partium vulnera, et corroſiones ab inſectis facta computreſcat, et in humum vertatur, ſemina autem in ſuis capſulis, nec non tenellae, et non corroſae plantae ſuperſtites maneant. Approximante ſequente aeſtate plantae puſillae creſcunt, explicantur, donec in conſpectum iterum veniant, gemmiferis ſpathis unice deſtinatae. Ex ſeminibus autem tum temporis, ut quidem ego exiſtimo, ſimiles progerminant plantulae ſenſim ad ſuperficiem aquae adſcendentes ſpathis floriferis deſtinatae.

§. IX.

Differendi hic quoque locus eſt, cujusnam claſſis et generis ſit haec planta in ſyſtemate TOVRNEFORTII, et an plures ſpecies revera dentur. Quod primum attinet momentum, non dubitavi hanc liliaceorum familiae inſerere in *Flora Francofurtana*, ſolius enim perianthii praeſentia et magnus ſtaminum numerus, quae rariſſima ſunt in liliaceis, nondum obſtant, quo minus hoc congrue fieri poſſit. Eſſentia enim plantae liliaceae conſiſtit in fructu

 trilo-

triloculari, qui modo in noſtra planta in tantum abludit, quod numerus loculorum duplicatus ſit. Quod ſi vero erraverim, per me etiam licet novum creare ordinem et claſſi roſaceae inſerere. Quo usque vero ſexuale ſyſtema hic valeat in multiplicatione hujus vegetabilis jam non disquiram, id ſaltem patet, plantas haſce partim per ſpathas gemmiparas ſine flore et fructu, partim cum flore et fructu propagari, ſed tali, cujus ſtyli et ſtigmata cum ovario non cohaerent, imo ante formationem hujus jam deſtructa ſunt.

§. X.

Circa pluralitatem ſpecierum ita ſentio: videri quaſi duas eſſe ſpecies diverſas, alteram gemmiparam, alteram fructigeram, ſed cum mihi non conſtet, dari in rerum natura plantam, quae ſine flore, fructu, et ſeminibus unice per flagella propagatur, malo potius reum me facere obſervatorem, dubiique hujus diſcuſſionem repetitis curis committere, interea quas binas IOHRENIVS ſpecies in *Plantis generis ignoti* ex mente GVNDELSHEIMERI recenſet; *Stratioten foliis aloes ſemine longo*, et *ſtratioten foliis aſari*, *ſemine rotundo*, harum prima ipſa noſtra planta eſt, altera vero, morſus ranae ſ. nymphaea minima, quae, quam incongrue ad hoc genus trahatur, ſequentibus rationibus evincam. Primo enim hydrocharis ſ. morſus ranae, eſt planta monoecia, ſ. flores maſculinos et foemininos ferens, quod in aloide, excepto TREWIO, negat BOERHAVIVS et LINNAEVS, deinde ſi aloides vel maxime monoecia eſſet, flores foeminini non exſurgunt ex ſpatha ſed ſunt ſolitarii, et tertio ab aloide toto habitu mirum quantum differt nymphaea. Mihi quoque videtur PLVCNAETIVM noſtrae plantae vera ſemina non vidiſſe, quae non ſunt crocei ſed fuſci et obſoleti coloris, ſed potius deceptum fuiſſe germi-

germinibus luteis in fundo ſpathae floriferae, intra veſiculas concentricas reconditis, quae tamen ut ſupra docui (§. 3.), ſunt rudimenta florum nondum explicatorum.

§. XI.

Patriam quidem et locum natalem habet hæc planta in Belgio, Anglia, Germania et Suecia ut ſcite notavit, *Cel.* LINNAEVS *Hort. Cl.* 221. non vero crediderim per totam Germaniam creſcere ſed ſaltem per inferiorem. Ex libro germanico *D.* ELSHOLZ *de Horti cultura* patet, in fundo Spreae fluminis copioſe creſcere, et ex CHEMNITII *Indice* ducatus Brunſwicenſis indigenam eſſe. Extra Germaniam in Polonia communiſſima eſt planta circa Warſawiam, teſte ERNDELIO in *Warſavia phyſice illuſtrata*, et in Pruſſia teſte LOESELIO. Circa Aboam naſci liquet, ex ſynonymis *Cel.* LINNAEI *Florae Suecicae*, qui catalogum plantarum *D.* TIL-LAND Profeſſoris Aboënſis citat, ubi *jucca paluſtris ſeptentrionalium* vocatur. Pariter aloidem in Sibiria in Piſchmae fluvii paludoſis ripis detexit, *Clar.* GMELINVS *Flor. Sibir. T. I. Petrop.* 1744. *p.* 2. Sed ſi aliorum celeberrimorum botanicorum ſcripta C. CLVSIVM, TABERNEMONTANVM, MAPPI *Hiſtoriam plantarum Alſaticarum*, VOLCKHAMERI *Floram Norimbergenſem*, VAILLANTII *Botanicon Pariſienſe*, ejusdemque plantas aquaticas in *Act. Soc. Reg. Pariſ.* 1719. accurate deſcriptas, P. A. MICHAELII *nova plantarum Genera*, *Ill. de* HALLER *Enumerationem ſtirpium Helveticarum* ſedulo evolvo, altum ubique de hac planta eſt ſilentium, imo ne quidem RVPPIVS, videtur hanc plantam vidiſſe, alias hanc ipſam in *Flora Jenenſi* nympheae minimae folius IOHRENII fide non junxiſſet. Quae cum ita ſint conjecturari licet plantam noſtram, in aquis dulcibus globi terraquei, quae aequatori et quinquageſi-

quageſimo latitudinis ſeptentrionalis gradui interjacent, non naſci, ſed a quinquageſimo primo vel ſecundo ad circulum usque Polarem, in Europa et Aſia reperiri. Quod enim BAVHINI fratres hujus mentionem faciant, non praebet indicium eam naſci in Germania ſuperiori vel Helvetia, quum alter in *Hiſtoria*, alter in *Pinace* totius mundi, tunc temporis plantas cognitas, congeſſerint.

§. XII.

Praemiſſa plantae hiſtoria nunc etiam auctorum ſynonyma, quos ipſe poſſideo, recenſebo, poſt habitis iis, qui ad manus meas non pervenere. Sequentem ideo exhibeo ſynonymiam.

Stratiotes ſ. militaris aizoides. LÓB. *Adv.* 904.

Sedum aquatile ſ. ſtratiotes potamicos. DOD. *Pempt.* 588. CHEMNIZ. *Ind. pl. circa Brunſwig. naſc.* 89. ERNDEL *Warſaw. phyſ. illuſtr.* 119.

Planta foliis aloes quae ſtratiotes non eſt. ANGVILLAR.

Aloe paluſtris. CASP. BAVH. *Pin.* 256. I. S. ELSHOLZ Gartenbau. *Coln.* 1672. *VI.* IV. Idem *Flora Marchica Berolini.* 8. 1663. *p.* 17. LOESELIVS *Flora Pruſſica. p.* 11.

Aloe ſ. aizoon paluſtre. IOH. BAVHIN. *Hiſt. plant. III.* 786.

Aloe-folia paluſtris Anglicana, ſpinifera flore albo tripetalo ſeminibus croceo colore. PLVCKNET. *Almag.* 19.

Stratiotes foliis aloes. GVNDELSH. *ap.* HODEG. IOHRENII.

Aloides. BOERHAVII, *Ind. Hort. L. B. II.* 132. *et Flor. Francof.*

Stratiotes. LINNAEI. *Hort. Cliffort.* 221. *Flor. Lap.* 222. *Flor. Suec.* 162.

Stra-

Stratiotes foliis enſiformi - triangulis, ciliato - aculeatis. LINN. *Spec. pl. T. I. 535.*

Gemanice vocatur, Waſſer-Aloe, Hechtkraut, Sichel-kraut.

Aloidis nomen retinui defectu alterius magis congrui, et naturae plantae propius accedentis, neque hic disquiro, an in *oides* plantarum denominationes ad unum omnes ex foro botanico ſint relegandae? imprimis cum Σρατιώτης veterum teſte VAL. CORDO, in *Annot. ad* DIOSCORIDEM, plane ignota hodie ſit planta, et ignoretur an militis cognomen huic ipſi tribuatur ex eo, quod radice careat, ut milites, genus hominum nulli adſtrictum domicilio, an forſan ideo, quod Marti ſacra et vulneribus conſolidandis, iisque ab inflammatione praecavendis apta nata ſit. Quam porro DIOSCORIDES *de Medicinal. mater. L. IV.* ex verſione V. CORDI 341. tradit deſcriptionem plantae, in aquis naſcentis, iisdem ſupernatantis, et ſine radice viventis, ſemper vivo ſimilis, ſed majora folia habentis, hanc quidem quodam modo noſtrae plantae competere largior, ſed qui PEDANIVS in Graecia et Italia quondam vivens, plantam a me pluribus deſcriptam, in calidis regionibus, ubi minime creſcit, obſervare unquam potuit, concipere nequeo. Ut taceam ſtratiotem terreſtrem veterum eſſe achilleae ſpeciem, et cum millefolio aquatico ratione foliorum, longe majorem habere convenientiam, quam cum aloide. Non igitur poſſum non, quin cum VAILLANTIO ſentiam, qui huic millifolio ſtratiotes nomen impoſuit.

§. XIII.

Quo vero clarius eluceſcat, quid in deſcriptione hujus plantae, ratione fructificationis et vegetationis praeſtiterim, operae pretium erit quorundam ſcriptorum bo-

tanicorum de hac planta obſervationes recenſere. LOBELIVS in *Stirpium adverſariis Lond.* 1571. *Fol.* 334. ita ſcribit: „Eſt vero illa quae multis fluentis pigre et ferme ſtagnantibus rivulis in Belgio provenit, ſempervivi „majoris figura, majoribus multo foliis mucronatis, angu„ſtae lanceolae plantaginis longioribus, ſed extremo an„guſtiori ſtylo. E medio autem foliorum, et ad latera ex„ortis pediculis, non longis, inſident flores, ternis folio„lis, quadantenus ranunculi albi, ſed medio lutei, et pi„lis hirſuti, e carinula aut forcipula cancri marini trifida „emergentes, ei ſubeſt contractior radix foliorum ſeſſili, „latiori et baſi radicem compreſſam obtegente, ſed indi„dem tenuiſſime et pene aciem fallentes, fidiculae trans „aquam humi dimittuntur, alimentumque latenter ſugunt, „vermiculorum ſpeciem ementientes.

DODONAEVS *loc. cit.* eandem propemodum deſcriptionem habet additque; „maximam foliorum partem una „cum floribus aquas ſuperare, reliquis ſtirpis partibus ſub „aquis conditis.

JOH. BAVHINI *Hiſt. plant. T. III.* 786. ſequentia ſunt: „Folia habet aloes herbae ſimilia ſed breviora et mi„nora - - duris quibusdam brevibus aculeis ſpinoſa, in„ter quae vaginae quaedam erumpunt, cancrorum forci„pulis perſimiles, quibus dehiſcentibus flores exeunt can„didi, trium foliorum ranae morſus perſimiles, luteola, „exigua ſtamina in medio gerentes. Pro radicibus ſunt, „fibrae rotundae, candidae, longae, craſſioribus lyrarum „fidibus perſimiles - - quae aquae fundum petunt, quem „rarius aſſequuntur. Exeunt ab eodem et aliae obliquae „fibrae, quibus uti ranae morſus multiplicatur. Junio, „Julio et ſubinde Auguſto floret.

JOH. RAIVS *Hiſt. plant. l. c.* totam relationem ex IOH. BAVHINO ſuis ipſiſſimis verbis mutuatus eſt.

Largiun-

Largiuntur hae deſcriptiones ſat evidentes notas, quibus ab aliis plantis aquaticis, ſat commode diſtingui poteſt, et IOH. BAVHINVS, ſuis additis teſtatur, ipſi non ignotas fuiſſe ſpathas gemmiferas. Fructificationis negotium non clare interim, ex omnibus hiſce intelligitur.

§. XIV.

In figuris ordinandis veteres botanici non admodum felices ſunt. DODONAEVS *l. c.* duas exhibet cum et ſine floribus cujus poſterior tolerabilior eſt, prior enim radices filiformes et multifidas ad finem depingit, cum tamen ſint integrae, ac non diviſae. Petioli florales nimis hic longi ſunt, dimidio ut plurimum foliis breviores, neque flos tam proxime forcipulae adhaeret, ſed per tres pollices diſtat. Figura IOH. BAVHINI eſt eadem cum hac ſecunda DODONAEI, imo rudior et a naturali conditione magis abludens. Et cum inter recentiores nullum inveniam quantum memini, qui icone hujus plantae, hos meos praeſentes conatus irritos fecerit et praeripuerit, grato ut ſpero animo, novam et ectypo naturae, ad amuſſim reſpondentem, figuram botanophili ſuſcipient, cujus itaque explicationem ſequentibus ſubjungo.

a. a. *Planta integra quousque aquis communiter immerſa invenitur.*

b. b. *Flores plantae cum ſuis pedunculis et ſpathis.*

c. d. *Flos in magnitudine naturali a parte prona et ſupina.*

e. *Floris petala.*

f. *Floris calyx.*

g. *Spatha floralis clauſa.*

 h. *Spa-*

h. *Spatha floralis aperta* (g) *conniventibus loculamentis veſiculoſis, minoribus, pellucidis, tenuiſſimis.*

i. *Granula ſemina vel germina repraeſentantia.*

l. m. *Germina* (i) *ipſa aperta et per microſcopium viſa.*

n. *Fructus ex ſpatha hianthe* (h) *propendens.*

o. *Cellula fructus aperti ſitum ſeminum manifeſtans.*

p. *Semen unicum naturali magnitudine.*

q. *Spatha gemmipara, florali* (h) *minor, puſillam plantam recondens.*

r. *Eadem ſuperne connivens et folia explicans.*

s. *Eadem magis adhuc ad ſimilitudinem adultae plantae accedens.*

§. XV.

Tandem ne quid intactum relinquam, quod hujus eſſet tractationis, quosdam exoticarum plantarum ſcriptores evolvi, eo ſcil. fine, ut ſimilem cum praeſenti vegetabili plantam alicubi reperirem, talem etiam quoad habitum foliorum et fructum ſpataceum inveni, apud PISONEM *Hiſt. nat. utr. Indiae. Amſt.* 1658. *p.* 192. quam *caraguatam* vocat, ſed floris ſtructura, creſcendi modo, virtutibusque medicis adeo differt, ut neutiquam pro planta congenere habenda ſit. Neque ſtratiotes Ægypti ab ALPINO *de plant. Ægypti* 41. deſcriptus cum aloide noſtra, ullam convenientiam habet, foliorum roſulis, carnoſis, craſſis et rotundatis, maxime diſcrepans. Primi etiam nominis Botanicus *Cel.* LINNAEVS in *Horto Malabarico T. XI. p.* 95. *T.* 46. plantam invenit, quam non dubitavit ſtratio-

ſtratiotis generi in *Flora Zeilanica*, ſub nomine ſtratiotis foliis cordatis, inſerere, ſed quum undecimum ſplendidi hujus operis tomum nondum poſſideam, et characterem genericum ad examen haud revocare poſſim, rem ipſam in medio relinquo.

§. XVI.

De uſibus medicis ſteriles ſunt materiae medicae, ſcriptores, neque enim multas vires poſſidere pollicetur, inſipida et aquoſa planta. Analyſin ejus chemicam a quopiam inſtitutam eſſe ignoro, ſed analogia ſuadet, ipſam pariter, ut portulacae, ſedi non acris ſpecies, antiphlogiſticis et refrigerantibus pollere viribus, niſi forſan floris ſtructura obſtet, quorum qui ad *polyandria* pertinent, *Celeber.* LINNAEVS pleroſque venenatos eſſe deſignat. DIOSCORIDES quidem *l. c.* de ſuo teſtatur ſtratiote, „folia „refrigerare, ſanguinem qui defluit a renibus ſiſtere, vul„nera quae inflammationes minantur, ab intumeſcentia „praecavere. Idemque propemodum iisdem verbis tradit AETIVS *Tetrab. III. S. III. c.* 2. apud STEPHANVM p. 545. „ſiſtit vero ſanguinis ex renibus eruptio„nes ſtratiotae aquae innaſcentis ſuccus potatus: necnon DODONAEVS *l. c.* „eryſipelati et oedemati impoſitum „prodeſt, et LOBELIVS *l. c.* 334. „huic temperamen„tum eſt potamogetonis ſiccandi et refrigandi, unde fa„cultas ejus contrariatur millefolio etc. Sed miror hos omnes auctores coeco quodam impetu, et culpanda reverentia erga DIOSCORIDEM omnes haſce vires tribuere aloidi, quas venerandae antiquitatis ſcriptor ſuo ſtratioti tribuit, cum tamen ſub judice lis ſit, quae ſit planta DIOSCORIDIS. Denique apud AETIVM *Tetr. II. S. IV.* collyrii ſtratiotae, et apud MARCELLVM collyrii ſtratiotici pſorici, STEPHANI *collectionis* p. 234. mentio fit, ſed quaenam hujus denominationis ratio ſit, cum utram-

que compoſitionnem non ingrediatur ſtratiotes, penitus ignoro.

§. XVII.

Colophonis loco de uſibus mechanicis et oeconomicis haec paucula ſubjungo. Scribunt LOBELIVS, DODONAEVS, RAIVS circumforaneos et agyrtas, radicum aloidis filiculas immittere phyalis aqua plenis, quo majores ſpectentur, quas mulierculis oſtentatas impudenter mentiuntur vermes eſſe, quos medicamentis ſuis ex inteſtinis eduxerint. Hic locorum homines, qui pecora et jumenta ſaginant, folia hujus plantae conquirunt, et porcis objiciunt, qui inde ſaginantur. Noſtrates etiam piſcatores affirmarunt mihi, ſe toties vidiſſe, anguillas exuvias veteres depoſituras, has ingredi plantas, et ſcabram cutim ad aculeos foliorum vulnerare, ut tanto promtius cadat. Quod reliquum eſt non deſpero plures forte uſus medicos et oeconomicos perſpecta magis plantae natura innoteſcere poſſe, ſed a pluribus abſtineo, ne in objecto hactenus vili et vix aliqua commentatione digno habito, nimium dixiſſe videar, optatum laboris pretium affatim reportaturus, ſi intellexero, qualescunque has meas obſervatiunculas Publico penitus non diſplicuiſſe.

TANTVM.


a
b
b
a
h
q
g
i
l
m
r
p
s
c
d
e
f
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 Zo.

U. HOLZER
BINDER
BOSTON, MASS.